Franciscus

Dlugowski Stanislai Frankowicz Faustum omen.

FAVSTVM OMEN,

EX

Geminis Mauortij cordis alitibus,
Sacro Connubialis vinculi fædere, æternùm sociatis,

DEDVCTVM,

ET

ad Festum Nuptiale,
Illustrissimorum Neosponsorum,

Illustrissimi & Excellentissimi Comitis,

D. FRANCISCI ESTERHAZI.

De Galantha,

Perpetui de Frak. S. C. Regiæq; Maiest. Præsidij Pap. Supr. Capitanei,

&

Illustrissimæ ac Lectissimæ Virginis.

HELENÆ ILLESHAZYÆ,

Illustrissimi & Excellentissimi Comitis.

D. GEORGII ILLESHAZY.

De Illeshaza,

HÆREDIS In TRECHIN,

Comitatus eiusdem perpetui, & Liptouien: Supremi ac Hæreditarij Comitis, Equitis Aurati, S. Cæs: ac Regiæ Maiest Consiliarij, & Camerarij, nec non Principum Hungariæ Dapiferorum Regalium Magistri, &c. &c. &c.

vnicæ, ac Dulcisimæ

FILIÆ,

Stylus M. Stanislai Brezanowski sub alieno nomine ut vides.

Inter Festos Congratulantium applausus, votorumq; solennia, Gratulationis & obseruantiæ ergo,

A

M. STANISLAO FRANKOWICZ DLUGOWSKI, Phil. Doctore,
Parocho Lancko: & Izdebnicen: Officiosissimo affectu.

PRÆSENTATVM.

Anno Restauratæ salutis 1661 Idibus Februarij.

INSTEMMA

Illustrissimi Neosponsi.



Threÿciis metuende feris Gryphs Martie, strictum,
Qui cæso gladium, victor ab hoste geris;
Bella quid, & sæuum spiras mucrone gradiuum,
Sint licet & pennæ, sint licet arma Tibi;
Exornabit amor stricto Te fortior ense
Frænabit pennas, ocyor ipse Tuas.
Quid facies mucrone tuo spoliatus, & alis?
Totus eris SPONSÆ *prædaq; corque Tuæ.*

IN STEMMA

Illustrissimæ Neosponsæ.



Bistonius fueritne chalybs, Bessiq; ferocis,
Hac acie inuictam qui lacerauit auem?
Quærebam nuper; sed in imo viscere, vitam,
Et gladium stupui posse habitare trucem:
Eripiunt vitale decus Mauortia tela
Solus ab inflicto vulnere viuit amor.
Ergo aquilam quæ tela gerens in pectore viuit;
Non Mors sed dulcis viuere fecit amor.

NOli diſcedere à muliere ſenſata & bona, quã ſortitus es in timore Domini: gratia enim verecundiæ illius ſuper aurum. *Eccl. 7.*

Mulieris bonæ beatus Vir: nam numerus ipſius conduplicabitur. Mulier fortis oblectat Virum ſuum & annos vitæ illius in pace implebit. Pars bona mulier bona, in parte bona timentium Deum, dabitur Viro pro factis ſuis. Ibidem *Cap. 9.*

Ædificatio Ciuitatis confirmabit nomen & ſuper hanc mulier immaculata computabitur. Ibidem 40.

Plato ex Nuptijs, hanc Conſolationem oriri dicebat, quòd naturæ perpetuitas inde promoueatur, & quòd filios filiorum relinquendo, ſemper Deo miniſtros pro nobis relinquimus: vitam ceu Lampadem alijs poſt alios tradentes. *Cic: lib. 6. de Leg.*

FAV-

FAVSTI OMINIS,

Ex Gentilitio Illuſtriſſimi NEOSPONSI *ſymbolo*

Deductum,

AVGVRIVM PRIMVM.

VAtũ,an Haruſpicũ Collegio accenſeat me hîc aliquis,non contendo. Amica ſacris nuptialibus Muſarum, ſacra ſunt, nec Haruſpicum inimica.

Quandoquidem,

Nemo minus quàm ſollicitus amor omina expectat, nemo magis omina curat.

Quid ita?

Intra nubem nimirum nuptiarum omen eſt : a luce ſereniori Boſphorus, in nubem Heſperus vergit.

Quotuſquiſque eſt

Qui Ganymeis aquilâ vectus, ſecreta Cœlorum nouus pincerna intelligat, ediſſeratque.

Aureum Paſtoris Idei malum,

erroris in iudicio malum non fuiſſet; ſi vt à vaticinantibus læua dextraq; omina, aut à Conſulentibus non pulchriori, ſed meliori aurea deberi mala didiciſſet.

Sed Iliacas domos vſsit Achaicus ignis.

quia inconſultum iudicem furor prius; ſed non fatidicus; proci non Sponſi flamma exuſſit.

A tædis nuptialibus ad belli tædia ventum.

Moroſa cadentis Ilij tædia, ſubitas improuiſi Coniugis caſtigauêre tædas.

O aliter! quot quot diuturnæ felicitati per connubia nubere vultis!

Vos ego Oedipos omnes aut Appollines vellem;

quibus vt à Sphinge nihil periculi, ita nihil non è tripode boni, ante Hymenæos & iura thalami, immineret.

Sed quis tam diuinus vates eſt?

Cui diuinum affectus hac in re humanus, enthuſiaſmum non ſuffocet? Infida ibi omnia vbi ij, quos vera vaticinari oportuit ipſi ſibi ſomnia fingunt.

Ad Tua tamen Gentilitia omina.

Illuſtriſſime Comes

FRANCISCE ESTERHAZI

Diuinator fatidicæ Muſæ dum reſpicit oculus: vates hîc auſpiceſq; diuinos fore non deſperat.

An verò fruſtra

Aëris terræq; potens, ferarum volucre genus decoros bellator Gryphus, Gentilitij Stemmatis Tui, occupauit ambitus?

Angues ego Hecubæ filijs, fatidici non tantûm inſpiraſſe Spiritus crediderim; quantum ominibus Tuis, fera hæc inter alites, ales inter feras auſpicatæ felicitatis attulit.

Nimirum

Nimirum

Nec tota euolans, nec consistens tota,
ESTERHAZIANÆ gloriæ decus seu portare, seu custodire parata
Si vatem vt cœpi agere pergam
ex semiaquila, semiq; Leone, Martes ESTERHAZIOS & natos olim, & nascituros
securius ego, quàm Olympiam ex Leonis insomnio, Leonem Orbi Macedonicũ pariturã semper dixerim.
Quis vatem tanta hîc sperare prohibeat?
Vbi generosissimum ex vtroq; inter feras principatu animal, stringendi quoque acinacis
Humanas artes edoctum, è triplici Martis genio triariorum robur & officium adimplet.
Errare quidem Scæuolæ dextera, ambustaq; flammas contemnere potuit,

non errauit vnquam,
dum Otthomannicum Porsenam petiit, confecitq; destinatus,
Ensiferæ huius volucris ictus.

Hinc quamuis,

armigeram Iouis, iam olim fulmina ministrare desijsse nouimus;
pugnacissimum ESTERHAZIANÆ Domus animal,
Contra Titanas Odrisios, ferrum, quodne Siculus quidem Pyragmon elaborasset,
eousq; ministrabit; quousque Bizantium Europæa manus Enceladum,
Ethnæ suæ, quam toties euomuit, non affigat.
Discet olim Bosphoranus helluo,
ex vnguibus non Leonem tantùm; sed ESTERHAZYVM quoq; in Grypho Martem cognosci.
Sed quis inter vincula humanitatis, iuraq; thalami,
Martijs ominibus & alitibus Locus?
Parcite Deæ Gratiæ! vosque dulces Thalassij omnes parcite.
Vatibus ad tripodem, Haruspicibusque inter exta sua ius proprium est.
Excludi ab auspicio coniugalis felicitatis non debuit, qui ESTERHAZYANæ gloriæ auspicium dedit.

Bellator Gryphus.

Quisque domi suæ rex est.

Heroicus quoque Comitum ESTERHAZYORVM sanguis, nunquam ita pacis togam induit,
Vt paludamentum, sagumue exueret.
Classicum illis tam dulce est; quam Ariones alijs, Orpheiq;.
Mulcere animos non inflammare nati.
Myrteus illis honos minimus; Lauri, palmæq; maximum decus; vel ideo:
quod ignauos nec deceat, nec ambiat.
Somnum, quem coronato Macedoni, peluis icta excussit.
Martius illis Spiritus nunquam in gaudia, plenamq; armorum securitatem solutus,
Seu abrupit, seu subduxit.

Hoc demum est,

Ad propugnaculum Christianitatis excubitores positos, vel Leones fortisimos, vigilantesque apertis semper palpebris dormire.

Eum

Eum Te quondam experta est; quem nunc suspirat, & ardet.
Heroum Mater Hungaria,
Illustrissime olim & Excellentissime Comes,
NICOLAE ESTERHAZY,
Regni Hungariæ Palatine:
Vir supra omnes titulos.
Ipsa magnitudine Tua maior, ipso fortunæ fastigio celsior,
Ex vtroque Cæsar, vbique Magnus;
Nullibi tamen maior, quàm vbi desiderium posteritatis prouocas hucusque & accendis;
Spirare mihi adhuc
Lunæq; infestus Otthomannicæ, vindex, Tutorq; Morauiæ, hostium globo imminere videris!
Heroum flos & exemplar.
Cannas fatales, quas alijs inferre didicerat, suas quoq; Te persequente habere didicit, non monoculus quidem vt ille Afer; sed centoculus Asiæ, Regnorumq; prædo.
Hem famelicæ turmæ quò ruitis?
Pingue vobis Morauiæ spolium in votis est? nihil equidem voracissimis sapidius; sed venistis huc, vbi mures ferrum rodunt.
Sunt nimirum nobis Gryphes ESTERHAZYANI; qubus non vngues tantum; sed ferrum quoq; in expedito est.
Macte animo noue Pannonum Scipio,
NICOLAE ESTERHAZY,
Infesta hæc Turcarum agmina, quæ Tibi furor Bethlem Gaborianus profliganda obijcit,
immortalitatis Tuæ trophæa sunt.
Ad magna nomina, non aliter itum est; nisi per magnorum nominum rudera, occasusque.
Sentiat quoque Cydaris Turcica.
Præsto esse ESTERHAZYIS gladium, qui summa hæc papauerum capita non decutiat sed abscindat
Res mira.
Lunam Otthomannicam, non ab vmbra terræ; sed à Corusca stricti mucronis ESTERHAZY acie ecclipsim passam, rubuisse.
Erubuit, salua res est; Tibi fortissimè Heroum ad gloriam;
pudendo Turcarum excidio ad ruborem: palloremne dicam?
vtrumq; dixero, inter cruentæ cladis dedecus, ad pudorem.
Pone hîc, æternam victrix Pannonia molem;
& incide
Gryphem ESTERHAZYVM non corona s tantùm; sed Asiæ quoq; coronatos premere posse
Orientem quoq; dum rubet, tempestatis suæ præsagum, non frustra cruentos in occasus desiisse.
Quanquam
Quid trophæorum proximas cœlo machinas molimur?
Quando augustiores longè, pientissimi æquè ac fortissimi Herois magnifica erexit
PIETAS.
Martis quidē studia in belli cosissimo pectore magna; pietatis admiranda sunt.

Multi

Multi bello nobiles, dum in rigidas Bellonæ artes, toti feruntur;
à Diua Pietate sensim, eousq; declinarunt, vt pigeret tandem tæderetq; non impios esse.
Sacros quidam nodos acinace, sacrorum contemptores confidentius soluunt.
Auream Æsculapio barbã dum iocantur auferunt; quasi in Diuos etiã armatis aliquid liceret;
Quibus nihil non in homines licet.
Alius bellicosissimi Herois de Religione sensus fuit.
Ægyptiorum Principes imitatus Proregis, & sacrorum Præsidis officio functus est.

Magnificentiam,

Quam stultè in septizonio thermis, balneis, amphitheatris captauêre multi;
Ad superûm interris palatia, sapientior vertit;
Maior in decore Domûs Domini, per ditiones suas restituto,
Seraphicæq; in Kismarton familiæ Cænobio, & augusto Tyrauiensis Soc. I E S V Basilicæ sumptiosissimoq; opere;
quam si Rhodiorum Colosso, Pharum quoq; Canopeam, & Pyramides adiecisset
Quam hic piè Magnificus; tam in extirpanda hæresi ad stuporem magnanimus:
ne solus Otthomannicæ procellæ scopulus fieret;
Orci quoque ad fidei Petram, terror esse, cladesque voluit.
Vno feruentissimæ Pietatis impulsu, cathedras pestilentiæ, & administros Satanæ,

E V E R T E N S,

Animarum spolia Stygi, erepta, è Bitisæ, Frakno, Kismarton, Lonzer, & Lakompak
amplissimis dominiis, ab hæresum vetusta tyrannide vindicatis,
Maiora, quam si Euphrathen Tygrimque victor superasset, traxit.

Hinc

Quam Deo fidem illibatam,
Augustissimam quoque D o m v s Austriacæ, inter Bethlehemi, Racocijq;
Immanes conatus infractam constantemque seruauit.
Maluitq; Monkacz & Regecz insigni iactura, ingens fidelitatis pretium adaugere.
lætus inuenisse quoque fortunam, Lydium sibi lapidem in quo
Vir ab aureo æuo probaretur.
Qui pace belloq; inclytus, quibus potissimum artibus excelluerit, animos posteritatis in lite reliquit.
Sed absoluit dubia posterorum iudicia,
Genuinus Martis, & Martij Parentis Filius secundo genitus

V L A D I S L A V S E S T E R H A Z Y,

Papensis pro tunc Capitaneus,

Docuitque cum tribus Patruelibus suis, Hectoribus, Deciisq; Pannonicis
T H O M A præsidij Lauensis supremo Capitaneo,
F R A N C I S C O Gyarmatiensis præsidij supremo quoque Capitaneo.
& G A S P A R E Libero Barone in Galantha,
plures in E S T E R H A Z Y A Domo, quàm in Colchide olim Heroas nasci.
saluete o ingentes animæ!
O victimæ in odorem suauitatis Deo, & Religioni alieno gladio,
amore vestro mactatæ.
Quantus veræ libertatis gustus, vobis fuerit, alienæ miseratio captiuitatis ostendit.

Nemo

Nemo vnquam libertatem alienam cariùs æſtimauit, vitam nemo viliùs ſuam.
Prodigos vitæ dixiſſem;
niſi auariſſimos æternæ, quæſita per gladios vitæ, gloriæq; immortalitas, teſtaretur.
Deſino nunc tandem mirari
quid Grypho veſtro in mentem venerit? quòd vngues Martios delicatulis impleuerit roſis;
è tanti nimirum cruoris purpura, pullulaſſe eas non intellexeram.

An verò & illius votum eſt?
Vt quidquid calcauerit roſa fiat?

Sed maius eſt Coronas, quàm roſas vietricibus calcare plantis, quas in Campo Martio colligi inſolitum
Spinas ego hîc magis, tribuloſq; naſci putaſſem; niſi quibus dulce & decorum eſt pro Patria mori in Campo Veſelinenſi, roſetum pro ſpinis obtigiſſet.
Nemo vnquam delicatulorum per roſas ſuas molliùs ad ſybaritarum epulas inceſſit quàm vos per horridas mucronum acies, ad captiuorum ſoluenda vincula properaſtis.
O digni ſupra quorum tumulos æternus roſarum depluat imber!
Videſne Illuſtriſsime NEOSPONSE
Inter auſpicia felicitatis Tuæ, fauſtaque hymenei Tui omina, quomodo tandem ab armis ad roſas ventum eſt?
Roſa nimirum pacis ſymbolum bellicos ſudores extergit coronatque
O quam libenter
Inter heroas Maiores Tuos conſiſterem totus!
Niſi ab armis ad roſas, & ad Te qui curæ meæ portio maxima es, nuptiales me roſæ Tuæ traherent.

Ergo

Cùm in Maioribus Tuis tantus fueris; in Te quantus futurus ſis Cumæâ vate opus non eſt.
Ad ſumma omnia natus,
Ipsâ expectatione inter expectationis auguria maior vota omnium præuenis, vinciſque
Eo Te nimirum Parente recordaris ortum;
qui virtute fortunam parans ſupra fortunam poſitus quantâcumq; ſuperaddita maior habitus eſt.
Tu quoque cuicunque eminentiſsimæ fortunæ par
Publico de Te omnium iudicio maximæ deſtinaris; tantò pluribus votis quantò plures in Te oculos, vnus maximæ gloriæ & meritorum Hæres, conuertiſti
De indole Magni Parentis Tui tantùm traxiſti;
quantum Achilles olim de Græcorum fortitudine vnus omnium maximè traxit. in quo virtus bellica experta eſt, quantùm vno in pectore collecta valeret.
Quanquam autem
Tot vndiq; virtutes Te ambiant circumſtentq; quot ne pugnaciſſimos quidem, ESTERHAZYOS Tuos inter confortiſsimas hoſtium acies pugnantes, infeſta Thracum circumſtetêre agmina
Diuæ tamen Bellonæ maximum in Te ius eſt;
quæ Tibi vltorem magni ſanguinis gladium in Grypho Tuo dum obijcit; quid niſi Te ad Trophæorum, Martis hæreditarium decus inuitat.
Accipe omen Heroum inclyte ſanguis, & effice
Vt Hectoras Epaminondaſq; ſuos ſentiat in Te Pannonia viuere; quorum in Te collectam epitomen dum læta ſuſpicit.
Vouet
Vt gemina hæc, quæ in Te nunc connubiali fædere gloriæ meritorumq; ferax coaleſcit

DOMVS
tam æterna ſit
quam quidquid in Te ab vtraq; Illuſtriſsimorum Comitum ſtirpe transfunditur,
æternum eſt.

FAVSTI OMINIS
è Nobiliſſimo Illuſtriſſimæ Neoſponſæ ſtemmate
DEDVCTVM

AVGVRIVM SECVNDVM.

Non omnes Aquilæ vatibus, augurijſque amicæ ſunt.
Rupem putauit glabram Æſchyli caluitiem illa; quæ raptam teſtudinem,
ad amicum teſtudini alliſit caput.
Ineuitabili quidem fatorum decreto; inimico tamen vatibus caſu.
Quis eam ſecurus reſpicere poſt hæc audeat?
Cui ne innoxium quidem caput abſque noxa ſubiectum eſt.
Quid ſi eam ferro transfixam Colleg ū Augurū vidiſſet? nonne contra relatā inter læua omina
puluinaribus ſuis ſopitos Diuos excuſſiſſet omnes?
Cor amoris ſedes, & Vitæ principium eſt.
Quis alitem corde transfixo, ſi prima nubentibus appareat vitalem fauſtamq; indicet?
Apage tamen in auſpicata auſpiciorum omina?
Hælieton non eſſet, niſi inter fortunata vaticinantium oracula cenſeretur,
Ad ſolem nata probataq; Apollini vatum Principi Deoq; ſacra non eſſe auſpicataq; non poteſt.
Dos hæc aquilarum maxima,
quòd virtuti ſuæ, fontem Luminis ſolem, iudicem petant:
nempe generoſiſſimus quiſque vmbris infenſus, virtutis ſuæ fiduciam in aprico ponit.
Tuæ hoc Illuſtriſsima Comitum ILLESHAZYORVM Domus
Vetuſtiſſimæ claritudinis decus & auſpicium eſt.
Fixis ſplendorem publicū intueri oculis, Tibi vni maximè omniū licuit ſemper,
Vſſit multos nempe, exuſſitq; lux publica; quorum oculis fulgur iſtud hæreditariū non fuerit.
Tibi cuiuſcunque Lucis capax pupilla;
Nunquam niſi in honorum meridie occupata, ex aduerſo maximi Luminis intrepida ſtetit.
Primus qui Orientem in faſtigijs montium viderat olim ſolem,
Regium Orientis faſtigium meruit,
Linceus alitis Tuæ oculus, dum ſupra celſiſſimos apices & titulos fertur, celſiſſimum
Quidquid in Hungariæ faſtigio eſt; vidit & ſuſtinuit.
Quodſi
Lucida hæc amplitudinis veſtræ faſtigia vatibus quoque ſequi liceat; vel in Te ſolo
Illuſtriſſime & Excellentiſſime Comes,
GEORGI ILLESHAZY,
Illuſtriſſimæ Neoſponſæ Parens ampliſſime,
Lux tanta oboritur.

Cui

Cui parem oculorum aciem, ſola Aquila Tua afferre poteſt;
Quæ ſola didicit, aut coronis Regum, aut Regijs heroum mentibus,
ceu principatûs ſui inter volucres conſcia, delectari.
Vetuſtam, ſanguinis Tui originem, ipsũq; fontẽ lucis Tuæ non reſpicio;
qui ne extremos quidem radios, ſine periculo imbellis ſenſus, intueri poſſum.
Vnius interdum Herois iubar tantum eſt;
Vt nitidiſſimas etiam Panegyriſtarum hebetet, confundatq́, acies.
Quod enim ſæculis omnibus in admirationem imitationemque proponitur.
vnius ingenij quantacunq; vis, fruſtra complecti, exhaurireq; deſiderat.
Quid ſi tot illuſtrium virorum nomina encomiaſten obſideant?
quot in Senatu Quiritium, Reges ſibi, Maieſtate Romanâ perculſus confeſſus eſt Cyneas.
Fatigatus profectò ad ſplendiſsimas virtutes Tuas accederem,
ſi vel in FRANCISCO Auo vel in GASPARO Parente,
aut in celſiſsimi nominis STEPHANO Palatino Vngariæ Patruo Tuo,
Illuſtriſsimis Comitibus ILLESHAZYIS,
Viris & Heroibus,
tantâ encomiorum luce circumfuſis, quantam claritudo Generis, & ſumma dignitas
in Auge requirere ſolet,
attonito, ſuccumbentique propior, Icarus non Dædalus hærerem.
*Immortalitas illos ſua iam olim, immenſo gloriæ ſinu excepit, condiditque
vniuerſorum in Te, ne omnia nobis inuidiſſe videretur, exempla relinquens.*
Tu quoque nobis,
quò plures in Te ſplendores deriuatos, maiori Luce repræſentas,
Vnus omnium inſtar ſufficis.
ſi vatum fides vtcunque ambigua; Auguſta certè oracula non fallunt.
Quàm honorificum de Te iudicium,
Auguſtiſſimi & inuictiſsimi IMPERATORIS FERDINANDI II. fuerit,
Congeſta in Te honorum- & titulorum decora teſtantur.
Auream in Te mentem, in aureo ætatis flore effulſiſſe;
Equitis Aurati, & aureâ claui inſignis Camerarij Cæſarei loquitur honos.
Hoc enimvero eſt,
pluſquam atauorum originem, ab aureo Saturni æuo deducere
Ab Auguſtiſsima nempe manu,
*quæ aureum Hungariæ pomum inuicta ſuſtinet, Iuuenem inter aureos computari Viros,
dignum profectò arcanis Imperij, cui variæ eruditionis & prudentiæ, per Orbem
Europeum collecta arcana patuerunt.*
ſed vt virtutes nunquam ſolæ, ita & honores nunquam non catenati ſunt,
dignum ſe eminentiſsimis fecit, qui vel vni ex æquo reſpondit·
*Cæſareæ Regiæque Maieſtatis. Itaque Conſiliarij, Principumque Hungariæ Dapiferorum
Regalium Magiſtri, honores ampliſſimi*
Senatoriam Tibi quantumuis adiecerint curulem; plus tamen magnitudini Tuæ reliquit,
Qui Te veſtigat & vltro

Ambit honos.
*Perniciſſimum enim Aquilæ Tuæ quis vnquam definiuit volatum?
Cui vt cæteris altiùs euolet, maxima vis, & libertas eſt.*

Quantò nunc ſublimiùs ibit?

Quando Illuſtriſsima HELENA Filia Tua ſuauiſsima,
priſco cum Grypho ESTERHAZIANO *ſanguinis renouans nexus, geminato impetu vtriuſque ſtirpis gloriam cœlo inferet.*

Hæc eſt ſpes de Te haud dubia

Nobiliſsimi ſanguinis, & virtutum omnium dulce corculum,
Pudicitiæ flos, elegantiarum ſedes, Gratiarum omnium compendium,

ILLVSTRISSIMA NEOSPONSA.

Fulgentiſſimus hic auri gemmarumq́ ſplendor,
qui circa venuſtiſsimæ formæ Tuæ decus, crebro fulgore emicat,
Virtutum Tuarum coruſcis ignibus tantò minor eſt; quantò Tu excellentiùs iudicaſti ſemper,
proprio, non alieno fulgore niti.

Multa quidem ſunt quæ Te
ex Illuſtriſſimis TVRZONVM, ESTERHAZYORVM, FORGACZORVM *Familiis decora ambiunt, à tot Cardinalibus, Epiſcopis, Palatinis; quos Tibi Paternus Maternusq́ ſanguis coniunxit profectâ;*
Vna tamen pudiciſsimæ mentis Tuæ innocentia. in Te tam pretioſa eſt;
quam Tu Illuſtriſsimo NEOSPONSO Tuo, gazis omnibus pretioſior.
HELENA profectò ſed Caſtiſsima,

Eâ vtriusq́ pulchritudinis gloriâ nites; vt ternio Dearum abſq́ lite,
citraque Iudicem iam olim Tibi palmam conceſsiſſet.
Gentilitia nimirum Aquila Tua fætum abſque gemmis non excludit.

Hinc Te quoque

Non Aëthiten aut Gagathen ſed quæ in plures diuidēdæ erant, in Te dotes vniuerſas colligens
ILLSEHAZYANÆ Domus vnionem fecit

Ergo Tu quoque

ESTERHAZYANÆ Stirpis nobiliſsme vnio,
Illuſtriſſime NEOSPONSE,
Splendore generis, virtutum pondere, amoris pretio parem Tibi & cariſſimū,
Carus & ipſe lætusq́ accipe, cordiq́ Tuo inſere vnionem.
Aderit votis veſtris, augurijſque noſtris.
Æterna Monas & Trias Deus vnionis amator & effector;
geminæq; Domus, vno amantium corde, & ore, prolata ſuſpiria exaudiens,
ex vtriuſque ſtirpis vnicâ ſpe, multos auitæ gloriæ hæredes,
gemmas nempe faciet ex vnionibus naſci.

Cum licentia Superiorum.

CRACOVIÆ,
In Officina Viduæ & Hæredum Franciſci Czeſarij, S. R. M. & Illuſtr. ac Reuerendiß. Epiſc. Crac. Typograph. Anno D. 1661.